



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vera Sapientia Virtute Et Tranquillitate Animi Enchiridion DD. Evcherii Lvgdvnensis, Martini Bracarensis, & Magni Wigonis, Antistitum

Eucherius <Lugdunensis>

Martinus <Bracarensis>

Magnus <Wigo>

Monachii, 1639

Cap. VII. Veram Lavdem soli virtuti deberi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10188

tem; & tamen amare ea, & inniti eis. Nam nisi horum alterum inesset tibi, id est, si aut non amares, aut non nosses eorum vilitatē, nullo modo doleres pro eis pereuntibus.

C A P. VII.

*VERAM LAUDEM
soli virtuti deberi.*

I. **E**Sto talis, qui lauderis: non enim bene laudatur, nisi bonus; quod non est, qui laudis cupidus est. Non ergo laudatur. Cùm ergo laudatori blandus es, iam non tuo laudatori blandus es; non enim iam tu laudaris,

M 3 daris,

daris, quippe tã vanus. Cùm dicitur, *quàm bonus, quàm iniustus!* qui hoc est, laudatur, non tu, qui non es: imò etiam vituperaris non parùm; quippe tam malus, tãmque iniustus. Laus enim iusti, iniusti est vituperatio. Ergo tua, vt iniusti. Cùm ergo laudatori iusti applaudis, tuo verissimo vituperatori applaudis; quia iniustus es. Non est enim iustus, qui se iustum putat, nec vnus diei infans.

2. Qui gaudet laudibus, perdit laudes. Si amas laudes, noli laudes sciri; hoc est, si vis laudari, ne velis laudari. Non enim potest verè laudari, qui vult

vult laudari. Ille laudatur, cuius bona iactantur. Qui autem vult laudari, non solum vacuus est vero bono, sed insuper plenus est magno, & diabolico malo; nimirum magna arrogantia. Non ergo laudatur. Iustus autem è contrario semper laudatur: Huius vituperatio nulla esse potest. Vituperatio quippe, est malorum exprobratio; quæ autem Iustus non habet, non possunt ei exprobrari: quare non potest vituperari. Vniuersaliter autem omnis Iustorum laudatio, iniustorum est vituperatio; & omnis iniustorum vi-

M 4 tupe-

tuperatio, est Iustorum vera
laudatio.

3. Cùm verò quis de bono
laudatur, non laudato, sed
laudatori prodest. Laudat te
quis propter sanctitatem,
sursum tendit: ultra te est e-
nim, quod ei placet; id est,
sanctitas. Tu verò si amas il-
lum, non tanquam cui placet
sanctitas, sed tu, deorsum
tendis. Qui dolet, aut irasci-
tur, amisso aliquo temporali,
eo ipso se dignum, qui amit-
teret, ostendit. Similiter qui
accepto conuicio irascitur,
aut dolet, eo se dignum fuisse
demonstrat. Tantum enim
vellet laudari, quantum no-
luit conuiciari, Conse

4. Contemptus, aut parui habitus doluisti? Hoc ipso contemnendum, ac parui habendum fuisse, & ideo Iure id factum demonstras. Nisi enim contemnendus, ac parui habendus fuisses, contemni, aut parui haberi nequaquam timuisses, aut doluisses. Hoc enim ipso solo, vel maximè contemnendus, & parui habendus es, quòd id times, aut doles. Prorsus non timet vilis haberi, nec contemni, nisi vilis, & contemni dignus.